

sia minime utilem, annullandum censuit S. Congr. ac propterea suspendi quoque mandavit decretum executoriali citati contractus, quod Vicarius Generalis Gaetani tulerat die 19. Feb. 1833, in Pontis Curvi 2. Maii 1835.

(7. Quam causam rursus agitatam S. C. eadem firmavit resolutione, et amplius in eadem die 5 Septembris 1835.

(8. Super nonnullis contractibus a Capit. S. Martini stipulandis S. Congreg. rescripsit dilata et ad mentem: Mens fuit ut scriberetur Episcopo E. Protectori, qui una cum D. Secretario S. Cong. inspectis instrumentis, curaret, rem cum debitoribus ad tramites juris componere, et consuleret indemnitati

CONTRACTUS EMPHYTEUSIS.

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Cum vero innotuerit ex Archiepiscopi informatione utiliore beneficio S. Martini ob peculiarias circumstantias fore Emphyteusim perpetuam, quam ad tertiam generationem, pro sanatione contractus, ac concessione beneplaciti Apostolici, SS. consulendum esse censuit, stipulato tamen novo instrumento, demptis articulis secundo et tertio, quorum loco pactum adjiciendum esse voluit Sac. Congregatio, ut canon conventus in *Luigi* viginti quatuor liber ab omnibus oneribus impositis, et imponendis esse deberet, incertis indictis instrumento, mappa et descriptione confinium, et cum solitis clausulis. In eadem Vercellin. die 3. Julii 1817.

(2. Absolutionem a censuris ad cautelam, attenta bona fide, concessit S. Congregatio Comiti Alphonso Montani, qui contractum emphyteusis ad tertiam generationem iniiit anno 1793. cum cl. mem. Card. Rovarella, quin tamen unquam obtentum fuerit beneplacitum Apostolicum, licet reservatum in stipulatione. In Pisaren. Emphyteusis 18. Mart. 1820. ad 4. dub.

(3. Constat dicitur Sacra Congregatio de nullitate emphyteusis inite anno 1793. inter Cl. Mem. Cardinalem Rovarella, et Comitem Alphonsum Montani bonorum tum beneficii S. Joannis de Cerreto tum alterius beneficii S. Barbaræ, quia numquam obtentum fuit beneplacitum apostolicum in stipulatione contractus reservatum. In Pisaren. Emphyteusis die 18 Mart. 1820. ad 1. Dub.

(4. Quia tamen aderat nova, ac melior oblatio Vincentii Perfetti, illius sanationem et concessionem beneplaciti Apostolici favore Alphonsi Montani, qui canonis reductionem postulabat, denegavit eadem Sacra Congregatio. Ibid. ad 2. Dub.

(5. Ob auctam vero a Montanio in aliis scut. septem oblationem annui canonis scutatorum 140. factam a Perfetti, antequam definiret Sacra Congregatio, cujus favore delibanda esset emphyteusis, affigenda esse censuit nova edicta super oblatione scutatorum 147. facta a Montani, non respiciens hoc modo oblationem utilem Ecclesie factam

Ecclesie, capta inscriptione super fundis idoneis, et certioraret de resultantibus. « In Nullius S. Martini Reductionis missarum, Absolutionum et contractuum Nullitatis die 19 Dec. 1835. ad 3, 4, 5, 6, 7 et 8. Dub. »

REV. FABRICÆ S. PETRI DECRETA.

(1. Contractum inter Conservatorium Oblatarum Sacræ Familiæ Setiæ, et inter Joachim Benedictum Pacifici ex venia Card. Protectoris ininitum, S. C. invalidum recensuit; et quoad fructuum restitutionem respondit, ad D. Secretarium pro liquidatione juxta mentem; nec non ad eundem cum SS. pro absolutione: « Terracinen. et Setina die 23 Januar. 1790. Dub. 2. »

ante concessionem Beneplaciti, sed ne ejus favore emphyteusim deliberans, cum oblatio extrinsecis solemnitatibus laboraret. Ibid. ad 3. Dub.

(6. Non constare de validitate contractus emphyteutici bonorum beneficii S. Venerandæ erecti in oppido Siroli Anconetanæ Diocesis, qui initus fuerat sine beneplacito Apostolico, ac proinde locum esse illius rescissioni definivit Sacra Congregatio, instante hodierno Rectore Joanne Soglia, et silentibus emphyteutis Moscatelli. In Anconetana Nullitatis contractus die 27 Maii 1820. ad 1. Dub.

Ac proinde esse restituendos fructus fundi emphyteutici pro summa liquidanda non a die celebrati contractus, ut contendebat Rector, sed a die motæ litis. Ibid. ad 2. dub.

(7. Cum tamen nullus comparuerat oblator ac interea Vincentius Perfetti diem obierit supremum, delibera fuit emphyteusis favore Comitis Montani pro annuo canone scutatorum 147. salvo jure vigesimæ sextæ, et præstito per eundem, intra tempus ab Episcopo designandum, idoneo fundo libero pro securitate Canonis juxta votum E. Cardinalis Ercolani Relatoris, injunxitque Bullarum expeditionem. In eadem Pisaren. emphyteusis die 26 Aug. 1820.

(8. Antequam judicaret Sacra Congregatio utrum Comiti Donus-deo de Malevoltis patrono hospitii sub invocatione S. Marthæ erecti Senis essent condonandi fructus percepti ex non solutis Canonibus emphyteuticis bonorum ejusdem hospitii ascendentes ad summam scutorum 1459. et an, et ad quod tempus suspendenda esset canonum illorum annua solutio ob rei familiaris angustiam, ac demum an consulendum esset SS. pro absolutione a censuris, voluit eadem Sac. Congregatio, ut E. Archiepiscopo scriberetur, ut referre dignaretur de singulis contractibus emphyteuticis et eorum legitimitate, quoad interventum necessariæ auctoritatis, eorumque justitia quoad quantitatem Canonis, et de existentia fundorum penes Malevoltos. In Senen. die 26. Augusti 1820. ad 1. 2. et 3. dub.

(9. Post reprobam emphyteusim perpetuam trium vineolarum Beneficii erecti in Collegiata Sancti Gaudentii Civitatis Pova-

riensis, ac demandatam affixionem edictorum pro emphyteusi ad tertiam vel quartam generationem, cum unica comparuisset oblatio, apposita conditione emptionis ejusdem prædii vocabuli *Prazzone*, S. Congregatio, prorogato judicio, Em. Episcopo scribendum esse duxit, ut nova edicta affigerentur pro unica emphyteusi ad tertiam vel quartam generationem tum vinearum, cum enunciatæ prædii. In Novarien. Beneplaciti Apostolici die 24. Mart. 1821.

(10. S. Congregatio censuit condonandos esse redditus perceptos a Comite Donus-deo de Malevoltis patrono hospitii sub invocatione S. Marthæ erecti Senis, ex non solutis Canonibus emphyteuticis ob rei familiaris angustiam, præsertim cum legitimi præsumerentur Emphyteutici contractus. In Senen. die 23. Junii 1821. ad 1. dub.

(11. Antequam E. Patres aliquid decernerent tum circa sanationem contractus Emphyteusis Beneficii sub invocatione S. Mariæ sideribus receptæ, et S. Victoriæ Fesulanæ Diocesis, tum pro absolutione a censuris, reductione Missarum, et absolutione quoad præteritas omissiones, tum pro exoneratione Rectoris ab onere residentie, nec non quoad præstationem legatum Dotis, et medii cadi olei; censuerunt scribendum esse Episcopo, pro transmissione contractuum Emphyteusis et primæ reductionis canonum, nec non ut referret, auditis patronis, an et cur consenserint contractui Emphyteusis, ac præsertim cessione usus domus, in qua residere debet Beneficiatus sub pena privationis, et an existat cultus B. M. V. in Ecclesia Pacensi, vel fuerit alio translatus. In Fesulan. die 19. Aprilis 1823. ad 1. 2. 3. et 4. et 5. et 6. dub.

(12. Constat de rejudicata dixit Sacra Congregatio, seu constare de nullitate Emphyteusis a Marco Bertocchini celebratæ anno 1786. cum bon. m. Præsule Galeatio Marescotti quoad bona Prioratus S. Spiritus Urbevetanæ Diocesis. Præterea eadem Sacra Congregatio statuit esse locum circumscriptioni actorum gestorum coram Vicario Generali Urbevetano, quorum vi Fratres Bertocchini redintegrati fuerunt ad possessionem hujusmodi Bonorum; ideoque fructus esse restituendos Rectori Præsuli Pandolfi Alberici a die captæ possessionis Beneficii. In Urbeveta. Emphyteusis die 24. Maii 1824. ad 1. et 2. dub.

(13. Emphyteusim perpetuam super fundis sex beneficiorum ab Antecessore Præsule Bargagnati ininitam Pontificio rescripto cum fratre suo Aloysio, et a S. Congregatione Episcoporum et Regular. approbatam, irritam, nullamque contendebat actualis beneficiorum Possessor Paulinus, prævia oris aperitione, utpote quæ tum ex Canonis tenuitate, tum ex pactorum Emphyteusis naturæ adversantium acerbitate Ecclesie existiterat perniciosissima, ac præterea flagitabat expensarum tum judicialium, tum extrajudicialium refectionem, utpote ex pactis contractui adnexis conventam. Fratres e contra Bargagnati Pontificio rescripto tuti,

FERRAR. II.

quippe cum Pontifex ipse edixerit se stipulationis syngraphas in manibus suis versasse, et singula oculis accepisse, tum etiam ex subsequata S. EE. et RR. Congregationis confirmatione, seu declaratione, contractus firmitatem protueri nitebantur. Re autem mature perpensa, EE. PP. responderunt: Dilata et ad mentem cum SS. In Fabrianen. Emphyteusis die 23. Aprilis 1835. ad 1. 2. et 3. dubium.

(14. Quoniam Hieronymus Petri rector Ecclesie B. M. in Cœlum Assumptæ beneficii bona, nullo juris ordine servato, nec habito respectu ad Ecclesie utilitatem, concessit in emphyteusim, Sacer Ordo nullum declaravit contractum. In Nucerna Emphyteusis 26. Martii ad 1. Dub. Nullum insuper emphyteusis sanationi locum fieri, et fructus latifundii a die motæ litis restituendos esse respondit. In Nucerna Emphyteusis die 16. Julii 1836. ad 2. et 3. dub.

(15. Cardinalis Pallota, ut prædia beneficii quod Philotrani possidebat in emphyteusim concederet Joanni Barberesio vigesimario, Apostolicum Beneplacitum accepit sub clausula, salvo jure sextæ, et facta inscriptione. Cum vero Barberesius domum jam hypothecis gravatam tradiderit inscribendam, Vir E. instrumentum renuit stipulari, licet nullus alius designato tempore sextam obtulisset. Defuncto hinc Emin. Pallota successor Beneficii Philippus Perfecti emphyteusis contractum, melioribus sane conditionibus, iniiit cum Aloysio Bianchio, qui prædiorum possessionem, Barberesio haud contradicente, adquisivit. Contendente postea Barberesio adversus Perfectum validam fuisse priorem emphyteusim S. C. respondit: Negative in omnibus: In Auximana Emphyteusis die 17. Decemb. 1836. ad 1. dub.

(16. E converso, juxta nuperam facti speciem consulendum SS. pro adprobatione Emphyteusis favore Aloysii Bianchi, salvo jure vigesimæ et sextæ, rescripsit S. C. In eadem ad 2. dub.

(17. Hæredibus Roggeri emphyteusis bonorum beneficii B. M. V. Lauretanæ in Oppido Lapedonæ contententibus adversus Beneficii Rectorem Præsulem Aloysium Bonini locum fieri canonicis reductioni ob Dativæ augmentum, et reddituum imminutionem, EE. PP. perspicientes fundorum proventus longe excedere sextam supra canonem, reductionem denegarunt. In Firmana Emphyteusis quoad Canonis reductionem die 26. Novembris 1836.

S. CONGREGATIONIS EPISCOPORUM ET REGULARIUM DECRETA

(1. Anno 1790. Xaverius Mercanti cum solidati Comitis Jacobi Brancadoro fidejussione bona Nosocomii Moglianensis in Emphyteusim ad tertiam generationem masculinam accepit pacto præsertim adjecto « di pagare l'annuo canone di scudi 460. senza veruna eccezione, senza diminuzione o defalco alcuno... tutte le collette Camerali e Comunali imposte e da imporsi » Tandem emphyteusi expirante, singula melioramenta

in loci pii utilitatem cedere ex conventionem debebant.

Usque ad annum 1820. inter canonem de pactum et fructum ex emphyteuticis bonis perceptum correspectivitas perduravit, ita ut emphyteuta nullum læsionis detrimentum persenserit. Attamen postero tempore, licet bona emphyteutica administratori ad id deputato procuranda data essent, facto deprehensum est, canonem multo majorem fructu percipi solito evasisse. Itaque cum cæteris quin dominus utilis multorum annorum debitor adhuc esset, anno 1836. ex justa S. C. Episcoporum et Regularium sententia concordia inita fuit, qua inter alia capita circa debitæ pecuniæ summam aliqua imminutio fiebat, et emphyteusis, utpote quæ progressu temporis læsioni obnoxia evasisset, rescindebatur. Archiepiscopi votum concordie favebat.

Ad hanc rem S. C. suum edidit rescriptum, quo concordiam confirmabat: addidit autem clausulam: *accedente consensu Municipii*: Qui licet a municipio, coactis comitiis, elicitus fuisset, ipsa tamen comitiorum, acta confirmare renuit delegatus Apostolicus Firmanæ Provinciæ una cum consilio, quod vulgo nuncupatur: *Congregazione governativa*. Hinc apud ipsum sacrum ordinem juxta formam in eodem usitatam controversia disceptari debuit.

Delegatus Apostolicus contendebat, quod licet doctores in diversam sententiam abeant super quæstione, num lex 2. de Rescindenda venditione ad emphyteusis contractum debeat extendi, tamen Sacrum Rotæ Romanæ Tribunal illis subscripserit, qui beneficium prædictæ legis tunc excludebant, cum canon esset levissimus, tunc admittebant, cum canon redditui comparatus gravis agnosceretur. In hoc autem secundo casu duas conditiones requiri, nempe ut Emphyteuta demonstraret læsionem ultra dimidium et in valore æstimando tempus inspiciatur stipulatæ conventionis.

Sed e contra animadvertebatur emphyteusim ex natura sua læsioni obnoxiam esse posse: et vero certo adhuc statutum non esse, quænam in hac læsione æstimanda ratio sequenda sit. Nam Rota in Firmana seu Maceraten. Reduct. (a Delegato citata) 16. Martii 1838. coram Marini 1. 2. de Resc. Ven. emphyteusi applicaverat, e contra in Camerinen. Reduct. Canon. 24 Feb. 1832. coram Zacchia Bartol. Theoricam ad L. 1 C. de Jur. Cap. amplexa fuerat. Porro quoad primum statuitur canonis reductionem ad æqualitatem locum non habere, donec evidenter probatum non sit, quod fundi emphyteutici fructus ad dimidium canonis persolvendi non ascendat. Quoad secundum statuitur, quod quando fructus fundi emphyteutici impares sint canonis representando, tunc reductioni canonis locus fiat, in quo Bartholi theoricæ consistit.

Cum igitur instabilis adhuc esset Tribunalium hac in re doctrina, illud contingebat ut incertus esset exitus litis. Huc accedebat, quod Ecclesia, utpote mater æquitatis,

fieri se ditiosem renuat cum aliena jactura.

Dubium itaque disputatum fuit in plenario conventu diei 12 Julii 1839. « Se e come abbia ad eseguirsi il Rescritto della Sacra Congregazione, non ostante il dissenso della Congregazione Governativa? »

Eminentissimi Patres rescribendum censuere in Firmana Emphyteusis

Affirmative juxta votum E. Archiepiscopi Ferretti, et ad mentem: mens est « Che la Sacra Congregazione desidera, che l'E. Ferreti procuri di ottenere più vantaggiose condizioni a favore del luogo pio tanto circa i danni che i miglioramenti »

Petrus Caliciotti anno 1818. prædium parochiale ad tertiam generationem a parocho pro tempore rite accepit pro annuo canonis scutorum triginta supra septem, pacto addito, ut supportaret omnia onera realia et personalia imposita et imponenda, itemque perageret quædam certa melioramenta, quæ eveniente casu moræ ac devolutionis, in parochiæ commodum cedere deberent.

Effectum conventio sortita est: sed anno 1836. Dominus utilis penes episcopalem Curiam institit, ut canonis reductio fieret ob causam læsionis. Cum acta judicialia conficerentur, parochus judicis incompetentiam allegavit, ideoque Emphyteuta ad S. C. Episc. et Reg. negotiis præpositam suam petitionem transtulit.

Ibi igitur causa proposita in jure eadem adversabantur, quæ in allata Firmana exposita sunt. Nisi quod in themate res erat de Emphyteusi Ecclesiastica, quæ moderanda erat ad normam Motus Proprii Benedicti XIV, diei 23 Novem. 1742, necnon juxta instructionem Sacræ Congregationis Episcoporum et Regularium, diei 5 Decemb. 1782. Jam vero videbatur, in casu emphyteusis ecclesiasticæ ea admittenda esse læsio, quæ dimidium excederet, Rota Rom. in Forolivien. Vigesima, 7 Junii 1795, n. 3, coram Flangini. Cui consonat Sac. Congregatio Concilii, quæ canonis reductionem concessit in defectu læsionis ultra dimidium in Senogallien. Reduct. Can., 27 Aug. 1831.

In facto vero Parochus tuebatur ex fide duorum testium, qui prædictum fundum titulo locationis detinuerant, quod tempore conventi contractus redditum daret scut. 42, nunc vero fundi conditionem una cum melioramentis culpa emphyteutæ deteriorem effectum fuisse, nihilominus sese minime præbebat alienum a coercendo canone ad scutata 32. licet prævideret, brevi melioramenta majoribus proventibus causam datura.

E contra tres viri periti seorsim in eadem re consulti canonis excessum portendere videbantur, siquidem horum primus æstimationem annui redditus (et hanc parochus producebat) in scutatis viginti supra quatuor determinabat; alter ex officio ab Ordinario deputatus in scutatis decem supra septem et obolis viginti octo; tertius tandem ab Ordinario privatim seiscitatus ad scutata viginti, si tempus datæ æstimationis respicere-

tur, si vero posterum tempus attenderetur, opinabatur majorem quotannis redditum inde obventurum.

Episcopus de more rogatus, ut suam sententiam panderet, autumabat in casu de quo agebatur, canonem posse reduci ad scutata triginta.

Hinc tres dubiorum formulæ juxta formas a Sac. Congregatione præscriptas in conventu generali diei 3 Aprilis 1840. Eminentissimis Patribus dirimendæ propositæ sunt, videlicet.

1. « Se e da qual tempo, ed in qual somma ma abbia luogo la riduzione ad eguaglianza dell'annuo canone nel caso? » Et quatenus affirmative.

2. « Se e come abbia luogo a favore del luogo pio l'azione nel caso? » Et quatenus negative ad utrumque.

3. « Se e come possa ammettersi il progetto di conciliazione proposto da Monsignor Vescovo? »

Eminentissimi patres rescripserunt: « Ad primum, secundum, et tertium, attentis peculiaribus circumstantiis, pro gratia reductionis canonis ad scutata triginta quoad futurum; facta tamen parochi optione rescindendi contractum, quatenus expedire censuerit, Ferentina Reductionis Canonis, 3 April. 1840. »

(2. Angelus Sorge anno 1782, ab Administratoribus Montis Pietatis Reatinæ Civitatis fundum quemdam in emphyteusim acceperat adjecto onere, ut ab eodem solveretur « census annuus præcipuus et liber, supportatis omnibus oneribus realibus et personalibus, » ut verba exhibent Apostolici beneplaciti. Insuper in publico instrumento ad hanc rem confecto additum est, quod census solvi deberet etiam « quocumque alio casu tam humano quam divino judicio proveniente, etiamsi in dictis casibus, et quolibet eorum motu proprio SS. D. N. Papæ aliqua defalcatio ac excomputatio specialiter et expresse concederetur. »

Aliquibus post annis cum taxa prædialis, vulgo dativa reale, a supremo principe instituta fuisset, idem Angelus Sorge sub die 3 Martii 1802, a Consilio Montis Pietatis obtinuit, ut onera Cameralia atque Municipalia tam imposita quam imponenda « vengano ripartiti tra il S. Monte, e l'Emfiteuta pro rata commodi a tenore della regola Catastrale. »

Usque ad annum 1834, juxta hanc methodum res processerunt; at vero postea Montis Pietatis administratores eadem haud satis sibi placere ostenderunt, ideoque causam penes Episcopalem curiam instituerunt. Judex igitur sub die 3 Martii 1836, sua sententia declaravit « che si buonificasse la dativa dell'anno 1827, a tutto il 1834, « qualora ne venisse dimostrato il pagamento. »

Neutri partium hujusce sententiæ tenor aridus visus est, ideoque res penes Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium deducta est.

Emphyteutæ lex favere videbatur a S. M.

Pio VII, die 27 Martii 1801, § 28, promulgata, in qua sancitum fuerat « dovrà onninamente il pagamento della medesima « dativa ripartirsi fra il dominio diretto, ed « il dominio utile pro rata commodi, che « ciascuno di essi ritrae dal fondo emfiteutico » relicta cura emphyteutæ, ut a Domino directo indemnitate exigeret ad rationem decimæ partis canonis, ut declaratum est in lege edictali 1803, et 16 Julii 1816, art. 221.

Clausulam autem in Beneplacito apostolico adnexam non obstare contendebat idem Angelus doctrina innixus Sacræ Rotæ Romanæ in Beneventana Super Retentione Ratæ Commodi, 10 Junii 1833, coram de Cuppis. Quamvis enim ibi de contractu ageretur, in quo beneplacitum apostolicum cum una eademque clausula impertitum fuerat, nihilominus concordato dubio: « An sit locus retentioni Ratæ commodi, ita ut constet de validitate oblationis et depositi, seu potius an et in qua summa constet de credito, et sit relaxandum mandatum in casu? » responsum editum est: Affirmative in omnibus ad primam partem, negative ad secundam.

Quod pertinet vero instrumenti verba, advertebat, contrahentium mentem non potuisse respicere publica vectigalia a principe imponenda; ibi enim potius inspecta fuisse infortunia, quæ ex cæli inclementia, aut humana malitia proficisci possent. Quo quidem in casu nullum defalcationi aut excomputationi locum fieri rectum et justum judicabat.

At vero contra Emphyteutam facere arbitrabantur Administratores pii loci legem a Sacra Congregatione OEconomica latam ex Oraculo felicis recordationis Pii VII, diei 13 Martii 1803, in qua declaratum est *Ratæ commodi* locum non fieri, si quando pactum explicitum obstaret; itemque legem 21 Junii 1806, in qua statutum fuerat *Ratam commodi* non esse admittendam « in tutti i casi, ne' quali tra due contraenti siasi convenuto che li canon... debbono farsi liberi e franchi da ogni gabella e tassa imposta e da imporsi di qualunque genere, e natura sia, o con altri termini ed espressioni equivalenti. »

Jam vero in casu ea pacta adhibita fuerant, quæ ita indefinita erant, ut quemlibet casum comprehendere viderentur; et insuper diserte declaratum fuerat emphyteutam a canonis solutione eximi « quocumque in casu, tam humano quam divino judicio proveniente, » licet accederet etiam ipsius Pontificis motus-proprius. Hinc Rota contra emphyteutam judicium tulerat simillimo in casu, nempe Ferrarien. Emphyteusis quoad taxam prædialem, 17 Jan. 1020, coram Isoard. In ea siquidem habetur, quod inter partes contrahentes pactum additum fuerat « di dare e pagare ogni an. sc. 110, netti, liberi, immuni, ed esenti da ogni aggravio sì reale, che personale, e tanto ordinario, che straordinario, e da ogni e qualunque caso fortuito od impensato. » Jam vero tempore stipulatæ conventionis nulla cogitatio vel prævisio de

taxa prædicti fieri poterat : id enim acciderat sub Pontificatu S. M. Benedicti XIV. Insuper eadem clausula fuerat adjecta. Nihilominus concinnato dubio : « An et a quo præstandæ sint taxæ prædiales, ita ut sit locus retentioni in casu ? » responsum prodiit : « Affirmative, taxam prædialem præstandam esse ab Emphyteuta, in reliquis negative. »

Hæc omnia ab utraque partium in contradictione exposita sunt ; utque omne controversiæ caput recideretur, tria dubia E. Patribus dirimenda proposita sunt, videlicet :

1. « Se e da qual tempo l'Enfiteuta abbia diritto di ritenersi il canone *pro rata commodi*, o piuttosto sia tenuto pagare l'intero canone al S. Monte di Pietà nel caso ? Et quatenus negative ad primam partem, affirmative ad secundam. »

2. « Se l'Enfiteuta debba rindennizzare il pio luogo della rata annua ritenuta fin dal 1803 ? Et quatenus affirmative. »

3. « Se e come convenga condonare all'Enfiteuta la somma non pagata al S. Monte nel caso ? »

Quibus iidem E. Patres adunati in generali auditorio, diei 22 Maii 1840, rescribendum censuerunt :

Ad primum affirmative *ad primam partem*; negative *ad secundam*.

Ad alia provisum *in primo*.

3. Anno 1820, mensa Episcopalis Imolen, quemdam fundum sine beneplacito apostolico pro spatio annorum sexaginta novem Francisco Fantini concesserat. Anno 1836, Emphyteuta hunc substantialem defectum agnoscens, a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium sanationem ejusdem contractus imploravit. Cum vero in causæ cognitione constitisset canonem impositum nimis tenuem esse, hinc dubia hæc de re Eminentissimorum Patrum iudicio dirimenda proposita sunt :

1. « Se il detto contratto d'emfiteusi debba sanarsi e convalidarsi ? »

2. « Se debba imporsi la condizione, che il Canone sia accresciuto ? »

Et quatenus affirmative ad utrumque.

3. « Se l'accrescimento debba stabilirsi dalla S. Congregazione, ed in qual somma, avvero si debba rimettere al prudente arbitrio di Mons. Vescovo d'Imola ? »

Eminentissimi Patres in plenario conventu convocati die dicta 3 Martii 1837, responderunt :

Ad 1. affirmative. Ad 2. affirmative, aucto canone arbitrio Episcopi. Ad 3. provisum in primo. Imolen. Emphyteus. diei 3 Martii 1837.

4. Capitulum Ecclesiæ S. Mariæ Regina celi Montis-sancti in alma Urbe duo eujusdam domus solaria ad viam « del Corso » possidebat, quæ Augustino Vallati, veteri inquilino, ad annos duodecim anno 1839 iterum locaverat.

Cum autem plurimi sumptus in ædificio reficiendo perferri debuissent, Capitulum eadem solaria in emphyteusim ad quartam generationem dare constituit : et ad hanc

rem die 17 Augusti 1842, edicta apposuit, in quibus eos, qui ad hoc optarent, commonebat : « di depositare le offerte chiuse e sigillate nell'Ufficio Capitolino Malagricei per prendersi in considerazione. »

Inde factum est, ut duæ oblationes exhiberentur, una ab Augustino Vallati scutator. 180. altera a Benigno Tignani scut. 220. Cum vero Augustinus Vallati jus prælationis in pari conditione sibi competere putaret tam ex Const. Gregorii XIII. *Quæ publice utilia*, quam ex speciali pacto in locatione convento, ideoque ad eandem scut. 220. summam auget oblationem suam, E. Card. Vicarius iterum jussit « che fossero nuovamente affissi gli editi invitatori per tutti quelli, che volessero dare le loro offerte sopra la indicata somma di sc. 220. »

In hoc secundo periculo tres existerunt Oblatores, videlicet idem Vallatius pro scut. 225. idem Tignanius pro scut. 260. et Eques Lopez-Celli pro scutatis 280. Sed huic ultimæ tam offerens, quam Capitulum renunciavit, ideo locus factus est Tignanii oblationi excipiendæ; qui præterea scut. 315. quot in restaurationem impensa fuerant, solvere pollicitus est.

Igitur die 19. Maii ejusdem anni rescriptum prodiit cum clausula, ut tam ipse, quam suus filius emphyteusim posset transmitti « sive per actus inter vivos, sive etiam causa mortis in personam quoque extraneam, quatenus ipse, aut ejus filius absque filiis masculis moriantur. » Addita deinde conditio est, ut edicta pro vigesima et sexta iterum apponerentur, quibus mandatis cum rite obtemperatum fuisset, nullus alius intra viginti dierum spatium oblatores sese objecit. Sed bina post die iterum supervenit Vallatius, eademque Tignanii oblatione ad summam scut. 260. cum aliis scut. 315. exhibita, jus prælationis sibi debitum esse reflagitavit. Sed Tignanius hanc petitionem nihili pendens effecit, ut memoratum rescriptum rite expediretur.

Cum res ad hunc statum deducta esset, ad S. C. Ep. et Reg. causa delata est, dubiique formula condita « Se ed in qual modo si debba preferire Agostino Vallati nel contratto di emfiteusi, di cui si tratta, pel quale era stato rilasciato il rescritto a favore di Benigno Tignani ? »

Vallatius affirmativam sibi responsionem tribuendam esse tuebatur duabus præsertim de causis. 1. Gregorius XIII in citata Const. *quæ publice* sancivit, ut si quis Romæ domum vendere velit, et adsit vicinus, qui super venali domo inædificare paratus sit, hic quisbusdam adjectis conditionibus jus prælationis supra cæteros obtineat; qui si desit idem jus inquilino devolvatur, sed sine obligatione ædificandi. Jamvero dd. hanc prælationem non ad unum venditionis casum coercent, sed etiam ad emphyteusim, quæ tantum cum emptione habet affinitatem, producunt Corradin. De Præl. q. 16, n. 112. Deinde in locationis instrumento § 14, pactum conventum est « In fine termini nata che sara la presente locazione, il Ca-

« pitolo promette al Signor Capitano Vallati « Conduttore di averlo in considerazione « nel nuovo affitto a preferenza di qualunque altro ». Hic enim non duntaxat de ratione, quæ conductor habenda sit, sermo est, sed insuper aperte innuitur aliis esse præferendum « a preferenza di qualunque altro. »

Neque vero opponi posse pergebat, quod ipse suo juri tacite renunciaverit, cum sciens ac volens suam oblationem exhibuit : auctores enim qui e contra afferuntur easum respiciunt judicialis venditionis, quæ per auctionem ad hastam publicam perficiatur. Deinde ex mente ipsorum Doctorum, ut quis juri suo renunciasset dicatur, requiritur, ut prius rerum statum integre ac luculenter ipse cognoscat; id autem non evenit, nisi cum omnia conventionis elementa ita sunt parata et matura ad perfectionem, ut nihil nisi actus desideretur.

Neque aliquid officere aiebat, quod Tignanius Rescriptum a S. C. retulerit, idemque expediri curaverit. Rescripta enim S. C. facultatem quidem inducunt, non vero obligationem. Hinc capitulo nulla ex parte S. C. obligatio orta est conventionis cum Tignanio celebrandæ. Cæteroque in suis edictis tantum declaraverat sese majori oblatores non prælationem daturum esse, sed tantum rationem habiturum « per esser preso in considerazione » quin tamen prælatio promitteretur. Duæ enim distinguendæ sunt in bonis adjudicandis rationes, altera fiscalis, quæ suas repetit regulas a Motu-Proprio Ben. XIV. et magis ex decreto S. C. Ep. et Reg. diei 18 Martii 1835; altera vero privata, in qua dominus eas potest condiciones apponere, quas sibi expedire magis videbitur. S. Rota in *Romana Affictus* 22 Junii 1761, § 4, coram Herreris.

E contra Tignanius aiebat in adjudicatione bonorum ecclesiasticorum certas regulas esse præscriptas, et observandas esse ex decreto

CRUX.

S. CONGREGATIONIS RITUUM DECRETA.

(1. In processionibus quibusdam solemnioribus, utpote Candelarum, Palmarum, Feriæ V et VI majoris Hebdomadæ, Sabbati Sancti, in absolutionibus defunctorum, et quoties Episcopus pontificaliter celebraturus in Ecclesia Cathedrali processionaliter procedit a Sacario, sive ab alio loco deputato ad altare, Subdiaconus etiam Canonicus deferre debet Crucem, quæ tamen sit longitudinis competentis, et ad portandum facilis, in aliis autem Processionibus a supradictis aliis, nempe Cruciferarius consuetus ipsam deferat, Superpelliceo vel Tunica indutus, nullo autem modo Pluviali : Oscan. Die 11 Junii et 9 Julii 1591, dub. 18.

(2. Proposito dubio : An Dignitates et Canonici Metropolitanæ Ecclesiæ Urbinaten. uti possint annulo, Cruce pectorali cum gemmis, caligis, sandaliis, et chirothecis præsertim auro ornatis. S. C. respondit : « Affir-

S. Cong. ep. et Reg. diei 18 Martii 1835. Jam vero Capitulum ad hasce regulas, prout debuit, sese conformasse ostenditur ex iis, quæ narrata sunt; ideo iis standum esse, quæ in allati decreti capitibus sanciantur. Atqui in apponendis edictis pro vigesima tunc alteri prælatio tribuitur, cum intra spatium viginti dierum, nec ultra, hic eam pecuniæ vim offerat, quæ vigesimam oblatores pretii partem saltem exæquet. Post hæc fit locus edictis pro sexta, in qua pariter ea pecuniæ vis requiritur, quæ par sextæ oblatores pretii parti sit, relicto trium mensium spatio. (Vide citatum decretum S. C. diei 18 Martii 1835, tam ad dubia Episcopi Assisiensis, quam ad articulos subsequentes).

Jam vero Vallatius nunquam majorem oblationem, quam Tignanius, proposuit. Hinc nullum impedimentum sibi jure opponi posse censebat, quominus et rescriptum obtineret, idemque expediendum curaret, quin ulla Capitulo recedendi facultas relinqueretur.

Quod vero pertinet ad laudatam Gregorii XIII Const. replicabat, eandem utpote editam in re odiosa, quæ nempe liberum de suis rebus disponendi arbitrium coercescit, ita restringendam esse, ut a contractu, qui nominatur, ad eum qui siletur, non extendatur. Rota in Romana Prælationis et Evacuat. 8 Julii 1808, coram Isoard. Deinde ut quis hoc beneficio fruatur, totam domum incolat necesse est. Tandem quidquid sit de jure prælationis, quod sibi arrogat Vallatius, contendebat eum ipsi juri cessisse, simul ac volens ac sciens inter oblatores numerum sese immiscuit.

E. Vicarius quoad maximam partem Vallati rationes tuebatur, illique pluribus de causis prælationem concedendam esse opinabatur.

Nihilominus in generali conventu diei 24. Jan. 1845. E. Patres dubio, quod superius exscriptimus, rescribendum censuerunt : *Negative*

mative juxta modum : modus est, quod in missis solemniter decantandis solus Celebrans uti possit enuntiatis indumentis auro non ornatis, nec non annulo cum unica gemma, et Cruce pectorali sine gemmis, et amplius : » Urbinaten. Die 29 Januarii 1752, dub. 1.

(3. 10. An servari possit asserta consuetudo, ut in Processionibus palmarum, et candelarum (functionem non peragentem Episcopo) Crucem portet Capellanus per turnum paratus. S. C. rescribendum censuit : *Affirmative, et amplius*, Conimbricen. die 14 Aprilis 1753, Ad 10.

(4. 17. An omnes Canonici in Choro præsentibus Feria VI, in Parasceve, teneantur accedere ad adorandam Crucem ante gradus Altaris majoris in casu etc.

19. An et qua pena puniendi sint non accedentes ad Crucis adorationem, in casu etc. S. C. rescribendum censuit : Ad 17, *Affirmative*. Ad 19, « Punetandi erunt tamquam ab-